



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXI. De sortilegis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

Rob. super prædicta Ecclesia silentium imponatis: alioquin partibus convocatis, audiatis causam, & ap. rem. sine debito terminetis. Datum Lateran. XIII. Kal. Nov.

NOTÆ.

I. ^a **[Dem]** Ita legitur in quarta collectione, sub hoc titulo cap. 2. & reperitur textus hic in lib. 1. epist. Innoc. epist. 400, ex quo registro literam huius textus restituo. Casus præsentis textus contingit in Anglia, ubi extat Monasterium S. Crucis de Balthan constructum ab Haroldo Rege An-

glorum, ut referunt Mattheus Paris in *Villelmo I.* continuator Bedæ lib. 3. cap. 13.

b *Rasuras.*] Quæ attendi debent, præcipue extent in loco suspecto, iuxta tradita in cap. 6. de fide instrum.

c *Renunciandum.*] Ut probavi latè in cap. si diligenti, de foro compet.



TITULUS XXI.

De fortilegis.

CAPUT PRIMUM.

Ex Pœnitentiâ^a Theodori.

N b tabulis, vel in codicibus sorte c futura non sunt requirenda, aut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec divinationes aliquas in aliquibus rebus observare. Quod si fecerit, xl. dies pœniteat.

NOTÆ.

I. ^a **Theodori.**] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & in Pœnitentiâ Romano tit. 6. cap. 7. ita textus hic habetur *In tabulis, vel in codicibus sorte futura non sunt requirenda, ut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec divinationes aliquas in aliquibus rebus observare. Quod si fecerit XL. dies pœniteat.* Et cap. 20. ita habetur: *Requisisti sortes in codicibus, vel in tabulis, ut plures solent, qui in Psalteriis, & in Evangeliiis, vel in aliis huiusmodi rebus sortiri præsumunt: Si fecisti, decem dies pœniteas.* Quæ verba etiam refert Burchardus lib. 19. *Decreti*: & retinendo illa verba 40. dies pœniteas. Papiensis in 1. collect. sub hoc tit. cap. 2. De hoc Pœnitentiâ Theodori, & ejus antiquitate egi in cap. 3. de furtis.

2. ^b *Tabulis.*] In talibus, legitur hac in sexta collectione, sed utrobique malè; & legendum esse in *talibus*, observavit Cironius lib. 1. observ. cap. 3. talez enim sunt sectiones lignorum, vel prælegmina, teste Varrone lib. 1. de re rustica. Vnde Nonius Marcel. cap. 8. dici ait rustico vocabulo *intertalcare*, id est dividere, vel excidere ramum ex utraque parte aequaliter præcisum. Unde quia in his furculis, & ramis sortes inquirebantur, ideo rectius legendum est, in *talibus*. Morem hunc sortes inquirendi expressit Tacitus de morib. Germanorum, his verbis: *Sortium consuetudo*

simplex. Virgam fructifera arbori decissim in furculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem cemerè, ac fortuito spargunt: mox si publicè consulatur, sacerdos civitatis? sua privatim ipse paterfamilias precatus Deos, oculumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundam impressam ante notam interpretatur. Similem Sinarum divinationem describit Ioannes Mendoza Episcopus Liparenis lib. 2. *Histor. Sinarum*, cap. 4. Philippinensium Ignatius cap. 8. *Itinerarij*.

c *Futura.*] Furta legitur in hac sexta collectione, sed malè; nam per has sortes Sanctorum in codicibus, & libris sacris non furta inquirebantur, sed futura requirebantur: quæ lectura suaderet ex verbis sequentibus, ibi: *Nec divinationes aliquas.* Facit canon 4. Concilij Aquilgran. celebrati tempore Caroli Magni, prout habetur tom. 17. Concilior. pag. 45. ibi: *De codicibus, vel tabulis requirendum, & ut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec divinationes aliquas observare.*

d *Quadragesima dies.*] De hac pœnitentiâ, & ejus forma egi in cap. accusasti, de accus.

COMMENTARIUM.

EX hoc canone prout jacet in Pœnitentiâ, sequens deducitur assertio: *Sortes in libris, vel Conclutaleis profumuris sciendis non sunt faciendæ.* Pro hoc tractabant textus in cap. qui divinationes 2. cap. non dicitur licet

liceat 7. cap. aliquanti 6. cap. sortes. 7. cap. si quis clericus 9. 26. quest. 5. D. Augustinus epist. 119. Qui de paginis Evangelii sortes legunt, etsi operandum est, ut hoc potius faciant, quam ut demonia consulenda concurrant; tamen etiam ipsamibi displicet consuetudo, ad negotia secularia, & ad hujus vite vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere. Concil. Altissiod. can. 4. ibi: Non liceat ad sortilegos, vel auguria respicere, nec ad characteres, nec ad sortes, quas Sanctorum vocant, vel quas de ligno, aut pane faciunt, aspicere; sed quacunq; homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat. Narbon. can. 14. Veneticum sub Leone I. can. 1. Ac ne sortasse id videatur omissum, quod maxime fidem catholica religionis infestat, quod aliquanti clericis student Auguriis, & sub nomine consilii religionis, quas Sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq; scripturarum inspectione futura promittunt, in hoc quicunq; clericus detectus fuerit vel consilium, vel docere ab Ecclesia habeatur extraneus. Concil. Agath. can. 42. & 68. Aurelian. 1. can. 32. Brachar. 1. anathematismo 9. & 10. Tolet. 4. can. 29. Nicolaus I. ad consulta Bulgar. can. 77. ibi: Refertis, quod Gracorum quibusdam codicem accipientibus in manibus clausum, unus ex eis accipiens parvissimam particulam ligni, hanc intra ipsum codicem condat; & si undecunq; aliqua vertitur ambiguitas, per hoc affirmant scire posse, quod cupiunt: vos vero consulistis, si sit obtinendum, an respuendum? Utique respuendum est: scriptum est enim: Beatus vir, cuius est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates; & insanas falsas. Veneticum cap. 16. Raphael à Torre in 2. 2. quest. 9. sect. 8. dist. 3. dub. 4. Theophilus tom. 15. in Heter. spir. p. 2. part. 4. quæ & alia juris decreta congesterunt Anton. Augustin. in epit. jur. lib. 34. tit. 5. Basilus Legion. quest. 2. scholast. in dicto can. 4. Concil. Altissiod. Illustrant ultra congestos à Barbola in present. Hunnius in encyclop. juris can. tit. 7. Corvinus lib. 4. aphor. tit. 29. Petrus Gregor. lib. 4. part. tit. 12. & de elect. cap. 3. & de Republ. lib. 13. cap. 17. cum duobus sequent. Simon Majolus dier. canicular. verbo Vaticinia. Azor. lib. 9. institut. cap. 20. cum sequent. Balsamon in can. 61. 6. Synodi, Antonius Sylvius Clarus lib. 2. de legibus, cap. 1. Aloix ad vitam Sanct. Abruci, tom. 2. cap. 13. Mancinus de triplici jur. collat. cap. 122. & 124. Victoria in relect. de arte magica, Thomas Delbene 2. part. de offic. Inquisit. dub. 25. sect. 5. Novus Notator P. Blesensis epist. 30.

5. Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione. Nam quod à sanctis, & piissimis viris factum legitimus, improbare non debemus: sed sancti, & pij viri sæpius futura spectabant, & deducebant ex librorum sortibus, ut de se fateatur Divus Augustinus lib. 8. confessio. cap. 13. & de Divo Francisco narrat D. Bonavent. vita illius cap. 13. è quo D. Antonin. 3. part. summe histor. tit. 24. §. 7. sed captum, & mutilatè desumpsit; sed ille his verbis: Immissum est ejus menti per divinum oraculum, quod in apertione libri evangelici aperiretur ei à Christo, quid Deo in ipso, & de ipso maxime foret acceptum. Oratione itaque cum multa devotione premissa sacrum Evan-

geliorum librum de altari sumptum in sancta Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum utique Deo devotum, & sanctum. Sanè cum in utraque libri apertione semper passio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actionibus vita, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus, & doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret, &c. Alia piorum virorum exempla dabimus infra. Ergo non rectè in presenti asseritur, sorte inquirere futura in libris, & codicibus illicitum esse. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam fors consultoria licita est, quando vallatur necessitate, ac debita reverentiâ, ut infra dicemus in cap. final. & tamen ordinatur ad cognoscendum quid in futurum agendum sit: ergo fors divinatoria per librum licita est, quamvis ordinetur ad futura prænoscentia. Secundò fulcitur eadem difficultas, quia quod non est malum ab intrinseco, & secundum se, aliquando, & cum aliquibus circumstantiis potest reddi licitum: sed sortes divinatoriæ non secundum se, & ab intrinseco sunt malæ: ergo cum aliquibus circumstantiis poterunt licite exerceri. Major patet, minor autem probatur: tum quia in lege veteri fuerunt licitæ, & ex lege ceremoniali Dei in populo permittæ, & approbatæ, ut in sororibus Jonathæ, Achoris, & Jonæ, quas nedum divinatorias, sed simul consultorias fuisse, post Liram probat Ribera super Ionam cap. 1. Inter duos hircos, quorum unus erat immolandum, alter in desertum allegandus, fors mittebatur, Levit. c. 16. Terra promissionis sorte divisa est inter Israëlitas. Numer. cap. 25. Sacerdotalia munera forte obtingebant, lib. 1. Paralip. cap. 24. ideoque narrat D. Lucas, sorte obtigisse, ut Zacharias Joannis pater thura Deo intra Sanctuarium succenderit: & Aaron forte ad sacerdotium aliis prælatus est, sic Deo jubente Numer. cap. 17. Tum denique quia sortitio divinatoria potest aliquando fieri, non divinativè, id est non usurpando, quod divinum est, sed suscipiendo quod est divinum, id est cognitionem futurorum ex Dei revelatione inquitendo, & recipiendo. In hoc autem non esse malitiam divinationis, probat Div. Thomas 2. 2. quest. 95. art. 1. alioquin cuncti Prophetæ in ulu Prophetiæ peccassent, siquidem futurorum cognitionem ex Dei revelatione susceperunt. Igitur non semper uti sortibus divinatoriis illicitum est. Tandem fulcitur hæc difficultas ex eo, nam etsi daremus divinationem per sortem malam esse, non inde sequitur continere speciem sortilegit, seu superstitionis, sed tantum vitii curiositatis, ut docet Div. Thomas 2. 2. quest. 167. art. 1. asserens committi vitium curiositatis ex ipsa inordinatione appetitus sciendi veritatem, in quantum aliquis studet addiscere ab eo, à quo non licet; sicut illi, qui à demonibus aliqua futura perquirunt, quæ est superstitiosa curiositas; quod probat ex D. Augustino in libro de vera & falsa religione, cap. 4. ibi: Nescio an Philosophi impedirentur à fide curiositatis vitio in procurandis demonibus. Et dicit. qu. 95. art. 2. in solut. ad 1. exponens idem Augustini testimonium, ait quod divinatio pertinet ad curiositatem, quantum ad finem intentum, qui est præcognitio futurorum; sed pertinet ad superstitionem quantum ad modum operationis. Atqui humani actus sumunt speciem

à fine, teste eodem Angelico Doctore 1. 2. *quest. 1. art. 3.* ergo hujusmodi divinatione per sortitionem, non superstitionis, sed curiositatis species est.

6.
De sortilegiis.

Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, sortilegium in genere omnem divinationis, impietatis, vanitatisque magicæ speciem comprehendere, *cap. si per sortiarias 33 quest. 1. Petrus Greg. lib. 34. syntag. cap. 7. Sanchez. lib. 2. moral. cap. 28.* Sed proptiè & triè sortilegi dicti sunt à fortibus; cum sit divinatio, per sortem; indeque sortilegus dicitur, qui per sortes futura prænuñciat, aut qui per sortem aliquid eligit, ut Horatius inquit *de arte poetica*: Et divina futura sortilegis non discrepuit sententia Delphis. Fiebat autem olim multis modis sortitio, ut ait Cicero *lib. 2. de divinatio. ibi, Quid enim fors est? idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod thessuras: quibus in rebus temeritas, & casus, non ratio, & consilium valuit.* Ea enim semper fuit hominum infamia, ut suarum rerum eventum ex vanissimis superstitionibus præcognoscere frustra conarentur. Dementia sanè non aliunde profecta, quam ex veteri illa, innataque aviditate sciendi bonum, & malum, quæ primò hominem ex supremo felicitatis gradu miserè deiecit. Eoque major, & gravior, quod cum argumenta suppeterent, quibus ea vanitas, quàm ridenda est, convinceretur, nec numero pauca, nec intellectu difficilia, ad eò sese humana mens tenebris involvit, ut cum sæpius mendacia deprehenderet, sæpius eidem scopulo, non sine miseranda strage illideretur. Hei quot monstra excogitavit, aut dæmonis astu conficta suscepit, & coluit velut divina oracula vetustas delusa! cum eximius eorum Poëta dixerit.

Heu vatuum ignare mentes!

Hinc divinatio per terram, Geomantia dicta; per aquam, hydromantia; per aërem, aëromantia; per ignem Pyromantia, *cap. igitur genus 26. quest. 3. cap. nec mirum 26. quest. 5.* tandem cleromantia, quæ est divinatio per sortes, de quibus fusè egerunt Delrius *disquisit. magicar. 2. p. ferè per tot. Petrus Gregor. lib. 54. syntag. cap. 1. num. 11. Torreblanca de mag. cap. 22.*

7.
De sortibus sanctorum

Sed ut ad sortes, quas veteres fideles vocabant Sanctorum, vel Apostolorum perveniamus, in quibus ex Scripturarum inspectione futura prænoscebant, sciendum est, apud Gentiles fuisse sortes, quas Virgilianas vocabant; nam aperto Virgilii, vel Homerii codice, versus, qui primi visui occurrissent, in oraculi omen assumebantur. Meminit harum sortium Aelius Spartianus in Adriano: *Cum sollicitus, inquit, de Imperatoris erga se judicio Virgilianas sortes consuleret, incidit in hunc locum.*

*Quis procul? Ille autem ramis insignis olivæ
Sacra ferens? Nosco crines incanaque menta
Romani Regis, primus qui legibus urbem
Fundavit, curribus parvis, & paupere terra
Missus in Imperium magnum.*

Et cum Severus Alexander Virgilianas sortes consulere, incidit in illa verba:

*Tu regere imperio populos Romane memento.
Sic sorte mortis suæ diem conjecit. Sic Claudius
Macrinus, Gordianus Junior, & alii Imperato-*

res tempus Regni, vel vitæ agnoverunt, ut referunt Suetonius in *Tiberio*, Lampridius in *Alex. Lippius lib. 2. elect. cap. 12.* Huic vanitati Gentilium successit apud Christianos apertio veteris, aut novi Testamenti, quam vocabant sortes Apostolorum, vel Sanctorum; & ad libri sacri apertionem, vel ad sacre lectionis auditionem ex sententia inibi occurrente vaticinium captabant. Hac sortitione usi fuerunt Heraclius Imperator apud Cedrenum; & Romanus Diogenes apud Cuspinianum; Andronicus senior apud Gregoriam *lib. 8.* Chramnus filius Regis Francorum apud Gregorium Turon. *lib. 4. histor. cap. 16. ibi: Postis tribus libris super altare, idest Prophetarum, Apostoli, atque Evangeliorum, oraverunt ad Dominum, ut quid eveniret, ostenderet. Aperto igitur primo omnium Prophetarum libro, reperiunt ex Isaia cap. 5. Ausferam maceriam ejus, & erit in direptionem.* Omnia exactè adimpleta sunt, & sublequuto effectu est comprobatum, non tam fortuitum, quam divinitus provisum. Similia de Clodoveo refert ipse Gregor. Turon. *lib. 2. cap. 27.* & ex apertione libri Evangeliorum facta ad agnoscendam divinam voluntatem, plures didicisse à Deo vocari ad perfectiorem vitam, constat ex exemplis sancti Danielis Stylitæ apud Methaphrastem: sancti Huberti Leodiensis Præfulis apud Surium *tom. 6.* Theodori Alex. apud eundem Surium *tom. 6.* & apud Rupertum in *vita sancti Heriberti, cap. 9.* & interdum non aperto ullo libro ingredientibus in Ecclesia observabant, an verba, quæ legebantur, essent congruentia eorum cogitationi, ut inde vaticinium, seu omen sumerent. Plura de his sortibus Sanctorum cumularunt Theoph Raynaud. *tom. 15. in Heteroel. sacr. punct. 4. ad fin. fol. 277. I. Dartis in 5. dist. fol. 104. & in 26. quest. 1. Christ. Lup. ad can. 8. Synodi, cap. 4. fol. 1459.*

Verùm quia in hac sortitione Ecclesiæ Patres superstitionem aliquam adesse agnoverunt, sæpius talem vanitatem pullulantem resecare curarunt: in Concil. Agath. relato in *cap. aliquanti 26. questio. 5.* Venetico *cap. 16.* Antistiodor. *can. 4.* & aliis suprâ relatis pro illustratione conclusionis; & magna cum ratione desumpta ex ipsa definitione divinationis, quæ teste D. Thoma 2. 2. *questio. 99. artic. 1.* nihil aliud est, quàm usurpare modo indebito prænuñciationem futurorum eventuum, quod est proprium Dei, juxta illud *Elaiæ cap. 42. Annunciata que ventura sunt, & sciemus quia Dii estis vos.* Ac proinde est grave peccatum, quia teste D. Hieronymo *super Micheam cap. 3.* divinatio semper in malam partem accipitur: & *artic. 2.* subdit idem Angelicus Præceptor, hujusmodi peccatum divinationis esse speciem superstitionis, utpote per illam assumit homo auxilium demonum ad aliquid cognoscendum, saltem tacitè eos invocando, quatenus dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate. Quicquid autem procedit ex pacto, seu societate demonum, supersticiosum est, teste Divo Augustino *lib. 2. de doctrina Christ. cap. 20.* Unde Divus Clemens *lib. 7. constituit. Apostol. cap. 7.* dum prohibet hoc genus sortium, ait: *Ducit enim hoc studium ad idololatriam.* Et involvi his actibus idololatriam, testantur Tertullianus *lib. de idololatr. cap. 9.* Lactant. Firm. *lib. 2. divin. institut. cap. 17.*

cap 17. Ideo ergo tam acriter Patres Ecclesiae increparunt, & improbarunt huiusmodi divinatorias artes. Norunt enim quam facile his studiis adductus animus (ea visinlita est animis nostris, aliquid semper novi faciendi, & cognoscendi) à vera religione abalienetur, & in fallam declinet. Accedit, nam semper superstitiosum est futurum velle prænoscere, unde prænosci non potest: sed futurorum prænortio non potest haberi à libris, & codicibus: ergo talis divinatio per sortes superstitiosa est. Unde rectè in præfenti textu pœnitentia quadraginta dierum iungitur illis, qui iis vanitatibus dediti sorte futura requirere in taleis, seu codicibus ausi fuerint.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta ex factis sancti Augustini, & Francisci, necnon aliorum piorum virorum, quorum exempla supra etiam retuli. Nam dicendum est, sanctos illos Spiritus sancti instinctu, & speciali Dei monitione operatos fuisse, ut referunt D. Augustinus, & Bonaventura *locis supra citatis*. Dum autem intervenit divina monitio, sive revelatio, hæc sola sufficit ad honestandum usum sortitionis consultoriae, illaque sola præcedente, nihil timendum, accusandumve est. Principes verò, qui hoc sortitionis genere usi fuerunt, à vicio vanitatis non excusamus, nisi eos bona fides, & ignorantia invincibilis excuset, ut excusatur Theodora Alexandrina, eo quod nondum erat satis catechizata in doctrina catholice fidei. Et generaliter ad hoc ut usus sortis consultoriae licitus sit, duæ desiderantur conditiones. Prima, ut quis id faciat debita cum reverentia, precibus ad Deum devotè fuis. Secunda, ut gravi necessitate compulsus ad consilium capiendum in spirituali negotio id faciat, ubi latè probat Araujo in *q. moral. de statu civili, disp. 3. §. 5*. In præfenti autem agimus de usu sortis non consultoriae, sed divinatoriae, quæ nunquam licita esse potest. Nec tunc obstat primum augmentum ipsius difficultatis, deductum ex usu sortis consultoriae: nam magnum discrimen versatur inter usum illius sortitionis, & usum sortis divinatoriae: nam sortitio consultoria per se primò non ordinatur ad cognoscendum, quid in futurum contingat; sed solum ad tollendas dubitationes plerumque occurrentes in progressu humanæ vitæ, quæ hominum industria, & consilio decerni non valent; & tunc licitè homines implorant divinum auxilium per sortes consultorias, ut per eas Deus dignetur indicare, quid sit aut agendum, aut vitandum. Sors verò divinatoria per se primò ordinatur ad futura prænoscenda, sive occulta dependentia à libero arbitrio, quorum cognitio solus Dei est propria: & ita meritò improbat ab Ecclesia. Nec obstat secundum augmentum dubitandi rationis deductum ex eo, quod sortitio divinatoria non sit intrinsecè mala; siquidem in lege veteri permittebatur. Nam respondeo, sortem divinatoriam dupliciter fieri posse. Primò si fiat divinativè, hoc est cum indebita usurpatione divinæ cognitionis, sive inquirendo prænotionem futuri, unde prænosci non potest; & tunc certum est, talem sortem esse intrinsecè malam, cum contineat sortilegii, & superstitiosis peccatum. Secundò fieri potest non divinativè, sed inquirendo à Deo, & ejus revelatione prænotionem futuri; & tunc verum est, talem sortem non esse intrinsecè malam, ut scitè advertit Cajetanus *dist. quest. 95. art. 3*, & hoc modo in lege veteri sortes exercebantur,

DD. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

non divinativè, sed inquirendo à Deo, & ejus revelatione, quæ futura prænoscere opus erat; quod jam in lege gratiæ non licet. Discrimen assignat Angelicus Doctor *dist. quest. 95. art. 2. ad 3*, dicens, quod in nova lege mentes hominum arcantur à temporalium rerum sollicitudine; & ideo non est in nova lege institutum aliquid medium, aut caremonia ad præcognitionem futurorum eventuum de rebus temporalibus. In veteri autem lege, quæ innitebatur promissionibus bonorum terrenorum, erant instituti quidam modi consultandi Deum de futuris ad religionem pertinentibus. Nec tandem obstat ultimum augmentum, cui responderetur, non esse inconveniens eundem actum humanum, servatà physicà identitate, vestiri duabus malitiis moralibus, sicque actus hic sortitionis divinatoriæ ex fine erit curiositatis, ex modo autem, hoc est cultus indebiti, exhibiti demoni, ut magistro, vel instructori, explicitè, vel tacitè invocato, erit superstitiosis malitiæ vestitus, sicut & potest esse simul tentationis Dei, & superstitiosis, & curiositatis, ut post Thomam docet Araujo *dist. disp. 3. §. 6. num. 8*. unde rectè in præfenti talis sortitio prohibetur non solum ut curiosa, verum ut superstitiosa.

Ex supra traditis lucem accipit textus in *can. 24. Concilii Narbonensis*, in illis verbis: *Si qui viri, ac mulieres divinatores, quos dicunt esse caragios, atque sorticularios, in cujuscunque domo Gothi, Romani, Syri, Graci, vel Judæi fuerint inventi, aut quis ausus fuerit amodo in eorum vana crimina interrogare, & non hoc voluerit annunciare, pro hoc quod presumpsit, non solum ab Ecclesia suspendatur, sed etiam sex auri uncias Comiti civitatis inferat. Illi vero, qui tali iniquitate repleti sunt, & sortes, & divinationes faciunt, & populum prævaricando seducunt, ubi inventi, vel inventæ fuerint, seu liberi, seu servi, vel ancille sint, gravissimè publicè fustigentur, & venundentur, & pretia ipsorum pauperibus erogentur. Ubi difficile est, quid per Caragios intelligant PP. dum eos sorticularios esse affirmant. Et sciendum est, caraxare idem esse ac sculpere, seu pingere: Beatus Theophridus in *storibus epitaph. sanctorum, lib. 3. cap. 7. Quid eloquar de vetulis summa sanctitatis gloria præditis? quid per tot Phœnix vidit sæcula: Omni carent carrie, quarum qualibet flamma, & hastule ab acerbissimo dentium dolore, & lethifera febrium liberant amaritudine, atque earum omnibus simul utensilibus, dum compendiosa brevitate studeo, quid caraxare possim de singulis specialibus?* Flodoardus *lib. 3. hist. Rhenens. cap. 16. Quævis blando sibilo eos quidam caraxare voluerint. Prudentius hymno 10.**

*Caraxat ambas unguis scribentibus
Genas, cruentis & secat faciem notis.*

Gregorius Turon. *lib. 7. histor. Francor. cap. 26. Tunc es pictor ille, qui tempore Clotharii Regis per oratoria parietes, atq. cameras caraxabat. Et lib. 9. cap. 5. Vasa per domos diversorum signis nescio quibus caraxat, flexis literarum apicibus in quadrata parietis pagina caraxatis. Latè probant Vossius de *vitiis sermon. lib. 4. cap. 3. Herman. Hugo lib. de prima scrib. orig. cap. 2. Zetda in advers. cap. 40. num. 13. Aloix in not. ad vitam sancti Polycarp. cap. 11. Filescus lib. 1. select. cap. 14. Unde in dist. can. 24. dum prohibentur divinationes per sortes, damnantur sorticularii caragi, qui suis picturis, & sculpturis sortes divinatorias**

K k exercce-

IO:
Expo-
nitur
cap. 14.
Concil.
Nar-
bon.

exercebant juxta ritus, quos refert Simon Majol. *dier. canicul. verbo Vaticinia*, de quibus et am Augustinus Anglorum Episcopus ita ait: *Nam qui praedictis malis, id est caragis, & divinis, aruspiciibus, vel phylacteriis, vel alius quibuslibet auguriis crediderit, etsi jejundet, etsi oret, etsi jugiter ad Ecclesiam currat, etsi largas elemosynas faciat, etsi corpusculum suum in omni afflictione cruciaverit, nihil illi proderit, quamdiu sacrilegia illa non reliquerit.* De illis etiam Zacharias Pontifex *epist. 1. ad sanctum Bonifacium*, ait: *Hoc & nobis, & omnibus Christianis detestabile; & perniciosum esse judicamus.* Sanctus Bonifac. *epist. 132.* Illustrant Zerda *in advers. cap. 15. num. finali*, Theoph Raynaud. *tom. 10. tract. de Agno cereo, cap. 9. num. 16.*

II.
Exponitur
i. 4. §. ult. ff. de condit. ob turp.

Est Proximè traditis, ni fallor, exponendus est textus in l. 4. §. ult. ff. de condit. ob turp. ubi ait Consultus, quod si cuidam ob indicium aliquid detur (indicium enim nuncupatur, quod eo patet praestatur, ut res mea ubinam sit, indicetur, l. solent 16. ff. de praescript. verbis, l. falsus 33. §. ergo, ff. de furtis, l. 1. ff. de proxenet. Paulus libr. 2. sent. tit. de furtis 31. §. ob indicium 20. Ant. Faber *in ration. ad dict. leg. solent*, & ad l. 5. §. quod si facio, ff. eod. tit. A. Concilius libr. 1. *disput. cap. 14. §. 15.*) ut fugiivum servum, vel rem furivam indicaret, repeti conditione ob turpem causam non posse. Et hujus sententiae rationem Ulpianus illis verbis assignat: *Nec enim turpiter accepisti.* Non ait, *nec turpiter fecisti.* Indicavit ergo, si mea conjectura non fallitur, illicitam actionem, videlicet astrologicam; nam Astrologos fures indicare, idem Ulpianus supponit in l. item 15. §. si quis Astrologos, ff. de injuriis: & ita docet, eum turpiter accepisse, non tamen fecisset: & per consequens conditionem non competere. Quae interpretatio suadetur ex §. antecedenti, ubi Consultus proposuerat actum vetè turpem, sed ob quem pecuniam accipere turpe non est. Improbabile ergo non est, Ulpianum eandem tractationem prosequutum fuisse in d. §. final. ac per consequens loqui in eo de actu turpi in facto: quo casu pecunia data condici non potest, l. qui operas 3. ff. de his qui not. infam.

12. Etiam superiori assertioni opponi potest textus in l. eorum 4. C. de malefic. ubi Imperator Constantinus jam Christianus ita statuit: *Nullis verò leorum criminationibus implicandis sunt remedia humanis 4. C. de quaesita corporibus, aut in agrestibus locis inno. en. malefic. ter adhibita suffragia, ne maturis vindemis metuerentur imbres, aut ventis, grandinisve lapidatione quaterentur, quibus non cuiusquam salus aut astimatio laderetur, sed quorum proficerent actus, ne divina munera, & labores hominum sternerentur.* Ex quibus verbis expressè constat, maleficiis uti licitum esse pro obtinenda sanitate, aut avertendis fulmine, grandine, seu rubigine ab agris; quia talis ars non in praedictum tertii, sed in bonum proprium exercetur. Ergo etiam ad furtum inquirendum licet fortilegio uti. Pro hujus textus expositione sciendum est, in eo per remedia humanis quaesita corporibus intelligi carmina quaedam, quibus antiquitus & sanguis fisci credebatur, & agris medela praestari. Apulejus in *apologia*: qui locus maxime huic lucem facit: *Veteres quippe medici (inquit) etiam in carmine remedia vulnerum norunt, ut omnis vetustatis certissimus auctor Homerus docet, qui facit Vysse de vulnere profluentem sanguinem fisci cantamine. Nihil enim quod ferenda salutis gratia sit, criminiosum est.* Hinc etiam illud extat vindic-

ciani Comitis Archiatrorum, cujus haec de carmine extat sententia.

Gramine seu malis agro prestare medelam, Carmine seu potius; nam est res certa salutis

Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis. Ammianus Marcel. lib. 16. ibi: *Anile incantamentum, quod medicina quoque admittit auctoritas, ad leniendum dolorem adhiberi.* Probat latè Filefacus de *idololatria magica* § 5. Etiam in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia interpretatur Jacobus Durantius *lib. 2. var. cap. 10.* quae apud rusticos recepta sunt avertendae grandinis fulminisque causa: & ex Palliade refert rusticos contra grandinem panno ruffo molam cooperire, & nocturnas aves consuevisse cruci affigere: quod etiam expressè Collumela *in libell. de cura hori.* ubi ait:

Hacne ruricole patereunt monstra salutis, Ipsa novas artes varia experientia rerum, Et labor ostendit miseris; susque magister Prodidit agricolis ventos sedare furentes, Et tempestatem Thescis avertere jacris. Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas Sanguine lactentis catuli placatur, & exis, Hinc caput Arcadici nudum cute fertur affelli Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris: Urque Jovis magni prohiberet fulmina Tarcon, Sape suas sedes praecinxit vitibus albis.

Hujusmodi superstitionum meminerunt Clemens Alexandrinus *strom. 5.* ibi: *Iam verò ajunt magos, qui sunt Cleone observantes sublimia nubium, quae erant grandines fulgetra canticis, & sacrificiis depellere.* Quod si forte iis quandoque defuerit animal suo cruentatum digito, sacrificant Mantinea quoque Diotima Atheniensibus. Seneca libr. 4. *natural. quaest. ibi: Rudis adhuc antiquitatis credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil posse fieri tam palam est, ut hujus rei causam nullus Philosophi scibola intra dita sit.* Imperator ergo Constantinus, etiam maleficiis uti prohibuit in praedictum generis humani in d. l. 4. tamen permissit illius artis usum in beneficium proprium, videlicet salutis recuperandae causa, aut tempestatis avertendae gratia, quia nullum damnum inde tertio sequabatur. Sed Ecclesia, quae pestiferam hanc artem semper abhorruit, ut idololatriam plenam, absolutam, & semper hujusmodi phylacteriis, & incantationibus, etiam pro pellendis infirmitatibus & tempestatibus avertendis, sub severis poenis uti prohibuit. Martinus Brachar. *in sua collect. can. 74.* Non licet in herbarum collectionibus quae medicinales sunt, aliquas observationes, aut incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo divino, & oratione Dominica, ut tantum Deus Creator omnium, & Dominus honoretur. Concil. Arelat. can. 5. *Quicumque divinos precantatores, phylacteria diabolica, vel herbas, vel succinos, & alios succos suis, vel sibi impendere tentaverint, &c.* Referunt Burchardus *lib. 10. Decreti, cap. 14.* Carnot. part. 2. cap. 58. Concil. Rhodomag. can. 4. *Perscrutandum est, si aliquis subulcus, vel bubulcus, sive venator, vel ceteri hujusmodi, dicat diabolica carmina, super panem aut super herbas, aut super quaedam nefaria ligamenta, & haec aut in arbore abscondat, aut in trivio projiciat, ut sua animalia liberet à peste, & clade, & alterius perdat: quae omnia idololatriam esse nulli fidelium dubium est; & ideo summopere sunt exterminanda.* Concil. Ancyran. ex versione Dionysii Exigui canon. 23. *Qui divinationem expetunt, & morem Gentilium subsequuntur, aut in domos hujusce*

Injuncti homines introducunt, exquirendi aliqui arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinque quænti jaceant, secundum gradus poenitentia definiti. Vbi Balsamon notavit, per expiationem significari morborum arte magica propulsiõnem ab his, qui se ob maleficium vexari prædicabant. Profertur & idem canon à B. Basilio episc. 3. ad Amphilocho. can. 83. & variè citatur à Burchardo lib. 10. cap. 5. Ivone p. 2. cap. 2. Martino Brachar. can. 17. sua collect. Rabano in poenit. cap. 23. addit. 2. ad capitul. can. 18. Unde constat, quod licet Constantinus adhuc non plenè in rebus religio-

nis Catholice instructus permiserit maleficiis uti ad expiationem morbi, vel avertendas tempestates; tamen Ecclesia, quæ omnem idololatriæ speciem magno odio prosequitur, etiam in his casibus maleficiis uti omnino prohibuit, & per consequens nec furti exquirendi causâ astrolabium permittit, cap. non liceat 26. q. 5. cap. admoneant 26. q. 7. plura adducit Hothomanus consil. 99. num. 3. & correctam esse dictam legem 3. per legem sequentem, docuerunt Balsamon in nomocan. Phocij, tit. 9. cap. 25. Filelacus in cap. 1. de offic. ordin. §. 10.

CAPUT II.

Alex. ^a III. Gradensî Patriarchæ.

EX tuarum tenore litterarum accepimus, quod V. Presbyter lator presentium juvenili levitate usus cum quodam infami ad privatum locum immundum spiritum invocaturus accessit. Unde tu eum, quia propter hoc infamiã laborat, & facinus publicum, & notorium erat, ab officio, & beneficio ecclesiastico suspendisti. Ipse autem coram nobis viva voce proposuit, quod non ea intentione, quod invocaret demonium, ierat: sed ut inspectione astrolabii furtum cujusdam Ecclesiæ posset recuperare. Unde licet hoc ex bono zelo, & ex simplicitate se fecisse proponat; id tamen gravissimum fuit, & non modicam maculam peccati inde contraxit. Et quoniam tutius est in dexteram, quam in sinistram; & in misericordiam, quam in severitatem declinare: ipsum f. r. duximus remittendum, monentes, atque mandantes, ut sibi infra septem dies post harum susceptionem litterarum Ecclesiam cum universis ablati restituas, & talem ei pro expiatione illius delicti poenitentiam imponas, quod per annum, & amplius, si tibi visum fuerit; ita tamen, quod biennium non excedat, eum ab altaris ministracione præcipias abstinere, & ex tunc liberum sit ei sacerdotale officium exercere.

NOTÆ.

1. a **G**radensî. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. De hoc Patriarcha nonnulla adduxi in o. ex literis 29. de offic. deleg.

COMMENTARIUM.

2. **C**irca furta inquirenda non minori superstitione, quam circa futura prænoscentia usos fuisse tum Gentiles, tum Christianos constat: nam apud Romanos res furtiva requirebatur in domo aliena per lancem, & licium; unde furtum conceptum dictum fuit, de quo in §. furtum, Insti. de obligat. que ex delict. Et quamvis Petrus Pith. lib. 1. advers. cap. 1. post Festum credat lancem usum fuisse perquisitorem furti, ne matronarum ipsius domus, & virginum verecundia læderetur, quia ea tectus perquisitor domum ingrediebatur; quod merito dubitavit Scaliger, quomodo fieri posset: quare Cuiacius ad l. 6. §. 7. ff. famil. ercisc. rectè notavit, lancem non opponi oculis solitam fuisse, sed in ea ferri præmium indicij; verius tamen est adeo licii discoloribus lancem tenentibus, & ad quædam verba prolata se circumagentibus veteres detulisse, ut furra quæ ea ratione conciperentur, hoc est detegerentur, inter manifesta numerarent: inerat enim olim tam in lance, quam licio superstitione; & utrumque incantationibus, & sortilegis serviebat. De licio notum est ex Ovidio lib. 2. Fastor. unde Plinius lib. 28. nat. hist. cap. 2. in illis verbis: *Vestales nostras hodie credimus*
D. D. Gonz. al. in Decretal. Tom. V.

nondum egressa urbe mancipia fugitiva retinere in loco precatione. Emendat Pignorius in tractatu de servis, cap. 16. & legit, Licio precationis. De lance idem probat Balsam. in can. 61. Synodi 6. notarunt Cironius in præfati. Basil. Legion. q. 2. scholast. in can. 4. Concilij Altsiod. Etiam veteres alio modo furem perquirebant, torte videlicet ex pane confecta, ut probat Martin. Delrio lib. 4. disquisit. magicar. cap. 2. q. 2. sect. 1. ubi adducit illud Horatii epist. ad Fuscum.

Atque sacerdotis fugitivus liba recuso
Et ait: *Cum in servis furti suspicio habetur, ad sacerdotem ducuntur, qui crustam panis carmine infectâ dat singulis, que cum hæserit gutturi, manifesti furti reum asserat.* Notavit etiam Basiliius in d. can. 4. Concilij Altsiod. Unde etiam in Ecclesia olium usus fuit requirendi furta per Eucharistiam, cap. sepe 2. q. 5. ubi ex Concilio Vormaciensi ita cavetur: *Sæpe contingit, ut in monasteriis furta perpetrentur, & qui hæc committant, ignorentur: idcirco statuimus, ut quando ipsi fratres de talibus se purgare debuerint, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo cui ipse Abbas præceperit, presentibus fratribus; & sic expleta Missa omnes communicant in hæc verba: Corpus Domini sit mihi ad probationem odij.* Illustrat Theophil. in oprob. de calumn. sect. 3. cap. 2. quest. 3. Grethlerus de cruce lib. 2. cap. 21. Hothomanus de feud. cap. 44. Lindenbrog. in glossar verbo In dicitum, Martin. Delrio lib. 4. disquisit. magicar. cap. 4. q. 3. sect. 2. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 34. num. 13. Item & fur detegebatur per sortem, ut ex Concilio Hibernensi refert

K k 2

Egber-

Egbertus Archiep. Eboracen. in excerptis, can. 73. ibi: *Si quis furatus fuerit pecuniam ab Ecclesia, mitatur fors, ut aut illius manus abscindatur, aut in carcerem mittatur, diu jejunans, & gemens, & reddat integrum quod abstulit, aut peregrinus abiciatur, restituat duplum.* Ullitator tamen, nec adhuc nostris sæculis omnino apud homines sceleratos, seu ignaros inuitata fuit inquisitio furti per inspectionem astrolabij, id est sicum stellarum, & observationem motuum ipsarum, dum furtum commissum fuit. Fuerunt enim plures ex Philosophis, & Medicis, qui omnes humanas operationes tribuunt stellarum influentiis, immò & eas illo miro ordine collocatas asserunt, ut earum aspectu omnia futura prodantur, & tanquam in libro legantur, ut docuerunt Cardanus lib. 1. 4. de varietate, cap. 68. Bernardus Bafin. de arte magic. Nicolaus Tribet, de fato. Iacob. Scol. in applicat. astrolog. ad medic. Lucius Belancius in q. de astrolog. & alij relati à Pellicer. in notis ad Gongoramus, in fabula Pyrami; qui malè pro sua sententia adducunt D. Augustinum lib. 2. cap. 21. contra Manicheos, ibi: *In illa perspicuitate corporum celestium non omnes anima nostra motus ita latere, ut non aliquando se quis in facie, & oculis exerat.* Verùm hæc sententia omnino damnata est, & etiam astrologia iudicialia improba, tam in sacra pagina, quam in utroque iure, civili, & canonico: & in sacra Scriptura cap. 19. Levit. Deuteron. cap. 18. Isaia cap. 47. Sophonie cap. 1. Ieremia cap. 10. Sapientia cap. 9. lib. 1. Regum, cap. 28. lib. 4. cap. 23. D. Paulus ad Galatas cap. 4. Iure canonico in cap. illud 6. cap. sed & illud 9. 26. q. 2. cap. consulti, cap. sciendum, cap. igitur, 26. q. 3. cap. non statim, cap. non licet, 26. q. 5. cap. legimus, §. sed contra, cap. qui de mensa 11. 37. dist. cap. infames 17. 6. q. 1. Iure civili, l. 4. C. de malef. l. 6. eod. tit. l. 1. §. medicos, l. faccularij, ff. de extraor-

din. crimin. l. 4. §. 1. ff. famil. erec. l. 15. §. si quis astrologos 13. ff. de iniur. Paulus lib. 5. sentent. tit. 21. & tit. 23. Novella 63. Leonis. l. nemo, C. de Episc. aud. Iure Regio leg. 1. tit. 27. partit. 3. l. 5. tit. 1. lib. 8. recopil. & improbarunt Sanctus Cyrillus homil. 14. in Pascha, Theodoretus 9. 15. in Genesim, Ambrosius lib. 4. hexaem. cap. 4. D. Augustin. lib. 4. de civit. Dei, ex cap. 1. usque ad 12. & lib. 2. de doctrin. Christ. cap. 21. & alij Ecclesie Patres, quos congerunt Pellicer. ubi supra, Kochier in face hist. cent. 2. cap. 29. P. Pinto in spicileg. tract. 1. cap. 14. & 19. Thomas Braduar lib. 2. de causa Dei, cap. 3. & lib. 3. cap. 12. Picus Mirandul. & Bulengerus lib. 2. de divin. Suarez tract. 3. de relig. lib. 2. cap. 11. Sanchez lib. 2. summa, cap. 38. a num. 27. Salas in 1. 2. tract. 5. dist. 2. & de hujusmodi astrologia in perquirendis rebus amittis loquuntur canones 23. Concilij Ancyr. Qui divinationes expetunt, & mores Gentilium subsequuntur, vel in domos suas hujusmodi homines introducunt exquirendi aliquid arte magicâ, &c. & 15. Synodi 6. Trul. Et hodie in sancta Inquisitionis Tribunalibus proceditur ex Bulla Sixti IV. contra proficentes astrologiam iudicialiam. In presenti autem textu per annum tantum suspenditur clericus per astrolabium furtum requirens, quia non ex dolo, sed ex simplicitate fecit; alioquin ab omni ordine sacro deponendus erat, beneficio privandus, & in monasterium poenitentia peragenda causa detrudendus erat, cap. si quis Episcopus 26. q. 6. docuerunt Balboa in cap. 3. de re iudic. num. final. Abbas in presenti, num. 4. Gillandus de sortileg. q. 11. num. 3. Raphaël à Torre 2. 2. q. 96. art. 4. & hodie qui hoc facit, etiam bonâ fide, poenâ arbitrariâ punitur. Abbas in cap. 1. hoc tit., Gillandus de sortileg. q. 11.

CAPUT III.

Honorius III. Capitulo^a Lucanensi.

Ecclēsiā vestra nuper Episcopo destitutā, sicut comperimus, convenientes in unum, ut de futuri tractaretis^b electione Pontificis, circa modum electionis diversos incipientes habere tractatus, unum tandem elegistis ex vobis per sortem, qui tres elegit auctoritate vestra, per^c quos vice omnium Lucanensi provideretur Ecclesie de Pastore, quorum duo tertium^d Magistrum Ricardum scilicet elegerunt, quod expressè licebat eisdem secundum traditam^a vobis omnibus potestatem. Procuratoribus igitur vestris super his in nostra presentia constitutis, nos tali examinato processu, licet notā non careat, quin immò multa reprehensione sic dignum, quòd fors in talibus intervenit: propter prerogativam tamen morum, & literas Magistri R. concanonici vestri, in quem vota vestra Ecclesie vestrae proficiendum Episcopum concurrerunt, & affectionem, quam ad eandem habemus Ecclesiam, electionem celebratam de ipso ad gratiam^e confirmationis admittimus, sortis ulum in talibus perpetuā prohibitione damnantes.

NOTÆ.

^a *Lucanensi.*] Ita etiam legitur in quinta collectione, sub hoc tit. cap. unio. De Ecclesia Lucanensi, seu Lucensi Italiae egi in c. 18. de prescrip.

^b *Electione Pontificis.*] Nam his temporibus Honorij III. electio Episcoporum spectabat ad Canonicos Ecclesie vacantis, ut adductā temporum serie, & distinctione probavi in cap. 2. de elect.

^c *Per quos vice omnium.*] Triplex est eligendū

modus, per scrutinium videlicet, compromissum, & inspirationem c. quia propter, de elect. late probant Petrus Greg. de elect. cap. 3. Azor p. 2. insit. 6. c. 14. Iul. Labor. de elect. tit. 4. c. 21. Præfens textus spectat ad secundum modum electionis, per compromissum videlicet, quæ celebratur cum uni videlicet, vel pluribus eligendi potestas committitur, c. sacrosancta de elect. quorum iudicio standum omnino est, nisi indignū eligant, c. causam 8. de elect. ubi probavi. Ad hanc electionis modum pervenitur maximè cum

cum multitudo eligentium sibi ipsi negotium faciunt, juxta D. Gregorii consilium *lib. 2. epist. 15.* & in presenti etiam electio per scrutinium facienda erat a tribus electoribus virtute compromissi nominandis. Nec novum est in jure canonico, ut electio partim fiat per scrutinium, partim per compromissum, ut in *cap. si qui 23. de elect. in 6. cap. cum olim 7. de arbitr.* notavit Petrus Gregor. *de elect. d. cap. 3. num. 4.*

2. d. Duo Magistrum R.) Similis casus refertur in *cap. cum in jure de elect.* Sed si ex tribus compromissariis duo Rodericum elegerunt, ad quid specialiter Honorius meminit potestatis in compromisso datae, cum electus a majori parte compromissariorum rite electus crederetur, etiamsi tertius eum non eligeret, cum in presenti casu adducta non fuisset clausula, ut omnes eligerent: Sed dicendum est, in presenti casu elegisse compromissarios unum ex ipsis compromisso comprehendit, quia ita cautum erat in ipso compromisso; nam licet alius verum sit, electores non posse se ipsos eligere, *cap. fin. de instit. cap. Cumana de elect.* tamen in electione per compromissum licitum est uni ex compromissariis electioni a ceteris de se factae consentire. Differentia ratio ex eo provenit, nam in electione per compromissum electio incipit ab omnibus electoribus, & tantum perficitur a compromissariis: at electio per scrutinium ab iisdem incipit, & perficitur. Unde in ea nemo potest se eligere. Hoc tamen non procedit quando unicus est compromissarius, ut docuit Barbosa in *d. cap. cum in jure*, qui recte ampliat hanc doctrinam ad casum, in quo talis facultas non sit expressa ex compromisso; dum tamen non sit adempta, quae jure communi competit, *ex dicto cap. cum in jure.*

3. e. Confirmationis admittimus.) Sed confirmatio proprie cadit supra actum validum, & ita ratione confirmationis non novum jus, sed antiquum conservatur, *cap. quia 5. de concess. prebend. cap. ex parte 13. de V. S. c. cum dilecta 4. de confirm. utili. cap. licet. de crimine falsi.* Ergo in presenti casu non poterat confirmari electio, quae nulla fuerat, sed potius confirmari, & validari ab ipso Pontifice. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, quod licet Panormitanus in presenti, n. 5. asseruerit electionem compromissarii in presenti specie nullam fuisse, utpote celebratam contra textus dispositionem in *c. quia propter. de elect.* verius tamen Sanchez *lib. 2. summa. c. 38. n. 85.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 2. c. 12.* Gibalin. *tom. 2. de negot. libr. 4. c. 9. art. 8.* asseruerunt electionem compromissarii sorte factam a Capitulo Lucanenfi injustam ac reprehensione dignam fuisse; non tamen irritam, quia in *d. c. quia propter.* praescripta fuit forma servanda in ipsa electione Episcopi, non vero in electione compromissarii; unde etiam electio Episcopi Lucanenfi per sortem facta nullius momenti esset, utpote celebrata contra formam praescriptam in *d. c. quia propter*; tamen electio compromissarii per sortem facta valida fuit; licet injusta, & illicita; & ideo egebat gratia Romani Pontificis confirmationis.

COMMENTARIUM.

4. **E**X hac Honorii III. Decretali communiter sequens deducitur assertio: Electio ecclesiastica per sortes fieri non debet. Probant eam textus in *c. aliquanti. c. sortes. c. si quis clericus 26. quae est. 3. cap. non statim. cap. non exemplo. cum sequent. 26.*

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

9. 2. cap. quia propter. de elect. l. 47. C. de Episc. aud. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. Illustrant ultra congestos a Barbosa in presenti, Petrus Gregor. *de elect. cap. 3. & lib. 34. syntag. cap. 5. & de repub. lib. 9. cap. 14. & 15.* Baronius in apparatu. *num. 69. 71. & 74. & anno 34. n. 237. & anno 44. num. 88.* Turrianus in explanationibus D. Clementis *lib. 8. cap. 5.* Torres *de relig. tom. 1. q. 95. art. 8. dubio 1.* Deltio *disquisit. lib. 4. cap. 4. q. 1.* Arniseus *lib. 2. de republ. cap. 2. sect. 4.* Azor. *1. instit. lib. 9. cap. 12.* Jul. Lator. *var. lucub. tit. 4. cap. 20. ex num. 33.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 2. de superst. cap. 12.* Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 38. num. 21.* Barbosa *tom. 6. in secl. ad hunc textum*, & in *cap. secundum 26. q. 2.* Salmutius *ad Pancirol. lib. 1. tit. 44.* Lindembrog. in *glossar. verbo Sors.* Torreblanca *de magia cap. 22.* Cohel. in *not. Cardinal. cap. 16. privileg. 1.* Mancinus *de triptic. juris collat. cap. 157.* Gibalin. *de negot. tom. 2. lib. 4. cap. 9. art. 8.* Luna, & Arellanus *lib. 5. singul. antinom. 6.* Cabretos *de metu lib. 2. cap. 5.* Scombornerius *lib. 1. polit. cap. 2.* Araujo in *qq. moral. de statu civil. disput. 3.* Pantoja in *l. final. C. de aleat. num. 24.*

Verum haec assertio difficilis valde redditur frequenti juris consideratione, nam per sortem divina agnoscitur voluntas; siquidem ut dicitur in *cap. turra 16. Proverbiorum: Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Unde ex D. Augustini definitione in *cap. sors 26. q. 1.* ait: *Sors non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem.* Unde sortium usus, tam in jure divino, quam civili valde usitatus fuit, ut constat ex *cap. 26. Numerorum, cap. 7. Josue*; ubi sorte detectus fuit Acham. Sic etiam captus fuit Jonathas *lib. 1. Regum, cap. 14.* & deprehensus fuit Jonas, qui fugit a facie Domini, *cap. 1. Jon.* Sic sorte exiit Zacharias, ut incensum poneret in altari, *cap. 1. Lucae.* Jure civili Romanorum dignitates omnes per sortem dabantur; Consules enim sortiebantur, uter aedes Diis dedicaret. Livius *lib. 2.* Comitia ex sorte habebantur. Livius *lib. 5. decad. 4.* Censores inter se sorte comparabant, uter eorum lustrum conderet. Varro *lib. 5. de ling. Latina.* Faciunt Cicero *ad Quintum fratrem, lib. 2.* ibi: *Sententiam dixit, ut ipse judices per Praetorem urbanum sortiretur.* Et *lib. 1. ad Atticum: Senatus decrevit, ut Consules Galliam sortirentur.* Et *lib. 1. epist. ad Lentulum: Si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam.* Et *2. in Verrem Virgil. lib. 8. Aeneid. Ocyus incubuere omnes, pariterque labore Sortiti.*

Et 4. Georg.

Sunt quibus ad portas cecidit custodia sortis. Plinius etiam hujusmodi consuetudinem in Paeneyr. ad Trojanum referens ait: *Sors, & urna judicem assignat.* Similiter in iudiciis, & sententiis proferendis sortibus utebantur, ut constat ex *l. is cum ambo 14. ff. de iudiciis, l. 2. C. commun. de legat. l. Judaei 8. C. de Judaeis, l. denunciaffe, §. final. ff. ad leg. Jul. de adult. l. si que sunt §. ff. famil. ercisc. l. quoties, C. de privileg. scholar. lib. 12. l. generaliter 24. §. quid ergo, ff. de fideicommiss. libert. l. 2. C. quando, & quibus quarta pars, l. 19. §. 1. ff. que in fraud. credit. Novel. 162. cap. 3. §. opinioni, Instit. de legat. Petrus Gregor. *lib. 34. syntag. c. 5. & de elect. cap. 3.* Scipio Almir. *ad Tac. lib. 20. dissert. 1.* Borel. in *summa decis. tit. 33. a num. 185.* Latrea *decis. 45. a num. 26.* Buleng *lib. 2. de divinac. cap. 1. Vela tom. 1. decisio. decis. 4. n. 77.**

K k 3

Et

Et virgo Vestalis apud ipsos sorte eligebatur. Gellius lib. 1. noct. cap. 12. Liplius de Vestra & Vestal cap. 6. latè illustrant Mancinus d. cap. 157. Avendanno d. lib. 2. de metu, cap. 5. Ergo & electiones ecclesiasticæ sorte similiter fieri possunt, præcipuè cum adeo proprium sit clericos sorte eligi, ut inde clerici dicti sint, quasi sorte dati, cap. clericos, 21. dist. Illustrant Alciatus lib. 4. parerg. cap. 14. Wadingus in notis ad opera D. Francisci cap. 13. Hallier. de sacris elect. lib. 1. cap. 1. Ergo non rectè in præfenti docetur, electiones ecclesiasticas per sortem fieri non debere.

6.
Sors
quid?

Quæ dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, sortem in jure, & apud bonæ notæ auctores variè accipi. Aliquando pro fortuna, seu statu alicujus, ut in psalmo 36. ibi: *In manibus tuis sortes meæ.* Et in l. final. C. de spectac. Frequenter pro prima, & capitali pecunia, quæ in societatem, seu contractum confertur, l. acceptam, C. de usuris, cap. conquestus, eod. tit. Sic Terent. in Adelph. ait: *Hei mihi, etiam de sorte nunc venio in dubium.* Id est de pretio, quo empta fuerat fiducia. Accipitur etiam pro fato. Virgilius lib. 3. *Aneid.*

Hic exitus illum sorte tulit.

Et pro judicio. Idem Virgil. lib. 6. *Aneid.* ibi: *Nec verò hæc sine sorte data, sine iudice sedes.*

Accipitur quandoque pro progene, seu genealogia, ut apud Ovidium lib. 6. *Fastor.*

Si genus aspicitur, Saturnum primam parentem

Feci, Saturni sors ego prima fui.

Verumtamen specialiori, & utiliori modo accipitur pro inquisitione fortunæ, sive divinæ providentiæ de aliquo contingenti, humanoque eventu, vel pro signo dato, per quod distinguantur res confusæ ad invicem: qua in acceptatione sors definitur à D. Thoma in epist. ad Ephesios: *Exquisitio divina providentiæ de aliquo contingenti, & humano.* Et opuscul. 25. art. 8. & 22. q. 95. ait: *Sors est inquisitio occulti excedentis humanam industriam, per aliquid à nobis factum de rebus humanis ad nos pertinentibus.* Facit D. Gregorius in lib. 1. *Regum*, cap. 14. ibi: *Qui sortes mittunt, per visibilibus rerum conjecturas latentia sæpe deprehendunt.* Quam definitionem, & alias explicant plura de his sortibus adducentes Summistæ verbo *Sors*, Martin. Delrio *disquisit. magic.* lib. 4. cap. 2. q. 7. sect. 3. Magister Torre tom. 2. de relig. q. 95. art. 8. Araujo d. disput. 3. de statu civili, per tot. Gibalin. d. cap. art. 8. Beyerlinch tom. 7. in theatro, verbo *Sors*.

7.
Sorti-
um di-
visio,

Deinde sciendum est, sortes ex parte finis, ad quem sortitio ordinatur, dividi in sortem divinatoriam, consultoriam, & divisiariam. Divinatoria est, per quam intendimus futura prænoscere, de qua, & ejus malitia egi supra in cap. 1. & plura tradit Delrio lib. 4. *disquisit. magic.* cap. 2. q. 7. sect. 3. Bulenger in opusc. lib. 2. de sort. cap. 1. Consultoria est, qua consulimus, quid agendum sit, in qua fors succedit loco consilii, & eam urgente necessitate, & cum debita reverentia, precibus ad Deum devotè fusi licitam esse supra probavi in cap. 1. & latè docuerunt Martinus Delrio *dict.* lib. 4. *disquisit.* cap. 2. q. 7. Araujo d. disput. 3. §. 5. per totum. Origenes *homil.* 3. in *Josue*. Sors divisiaria est, per quam res quæ in confuso est, dividitur: & hæc licita est concurrentibus quatuor circumstantiis. Prima, ut eventus sortis expectetur à Deo, non à dæmone, nec ab astris, fato, aut

fortuna: secunda, ut fors fiat simplici animo, & cum debita reverentia, sine admixtione alicujus superstitionis, vel abusu rerum sacrarum, seu sacræ Scripturæ. Tertia est, ut illi, qui sortiantur, æquali jure nitantur, aut æquali sint digni pena. Quarta est, quod præcipua intentio sortientium non sit inquirere voluntatem Dei modo extraordinario, sed tantum litium, discordiarum, sive invidiarum ablatio, & per defectum cujuslibet conditionis, ex his certum est sortitionem illicitam reddi ob injustitiæ periculum, ut latè profertur Suarez *lib. de superstit.* cap. 12. Sanchez *lib. 2. in Decalog.* cap. 38. an. 50. Serarius in c. 7. *Josue*, quæst. 19. & 20. Sed diverso malitiæ gradu, nam si eventus sortis expectetur à dæmone, erit supersticiosa per expreffum pactum cum dæmone: si verò ab astris, & fato, est supersticiosa per pactum implicitum. Similiter si à fortuna expectetur, accipiendum fortunam prout Gentiles censent esse quendam Deum, esset idololatrica sortitio: intellecta autem fortunâ juxta Philosophos Christianos pro collectione causarum secundarum occultarum, & per accidens convenientium cum subordinatione ad divinarum providentiam, aut nullum, aut tantum peccatum veniale est. Deinde pro defectum secundæ conditionis erit quoque peccaminosa sortitio, juxta qualitatem irreverentiæ; aut mortalis, si magna; aut venialis, si parva fuerit irreverentia. Per defectum etiam tertiæ conditionis redditur sortitio imprudens, sive irrationabilis, & injusta, quia fit cum periculo communis boni, & læsione justitiæ, atque cum damno tertii, ut probat Cajetanus in *summa*, verbo *sors*. Tandem per defectum quartæ conditionis redditur sortitio peccaminosa peccato vanitatis, quia caret debito fine. Etenim finis non debet esse inquirere voluntatem Dei modo extraordinario, in quo ipse modus est omnino incertus, utpote nulli Dei promissioni innitens; sed lites, querelas, invidias, aut discordias auferre, juxta illud Salomonis proverbium: *Contradictiones comprimunt sors.* Manet ergo his servatis conditionibus, licita esse sortes divisiarias, & ita eas apud varias gentes receptas fuisse, ut de Græcis refert Homerus *illiade* 8. de Vandalis Cranzius *lib. 1. Vandaia*, cap. 17. de Germanis Cæsar *lib. 1. de bello Gallico*, de Venetiis Hadrianus Barlan *de Ducibus Venet.* de Siculis, & aliis Scombornerius d. *lib. 2. cap. 2.*

Quibus ita animadvertis, & in medium præfatis, apparet jam vera ratio præfentis decisionis, & quare Honorius III. improbaverit electionem ecclesiasticam factam à Capitulo Lucanensi. Nam cum judicium sortis sit valdè periculofum, unde illud judicium fortunæ dixit Cicero *lib. 2. de divinit.* quem, & alios refert Beyerlinch in *theatr. vitæ humanæ*, verbo *Sors*, per quam absurdum est, & à disciplina ecclesiastica alienum, ut in electionibus ecclesiasticis, & de Prælati Ecclesiæ præficiendis, ubi merita debent ponderari, & singulorum virtutes pensari, judicio fortunæ hoc totum committatur, quæ sæpè indignos promovet, & dignos premit, ut eleganti carmine cecinit ille.

O fortuna potens, quàm variabilis!

Evertis que bonos, eligis improbos

Fortuna immeritos auget honoribus.

Brevius Seneca in *Hercule Furente*,

Fortuna viris invida sortibus,

Quàm non aqua bonis premium dividis!

Facit Tacitus *lib. 3. annal.* ubi inquit: *Nam*

Augustus

Augustus permisit Senatui deligere Praefectos. De in ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero Praetorum, qui praesent; nec id diu mansit, quia fors deerrabat ad parum idoneos. Inde nullum iudicium, nulla electio iustitiae adaequata in talo, live in forte inesse potest. Inde Plautus in *Casina*, ait: *Nam si sic tibi impetrare poteris, saltem fortiar.* Merito ergo Honorius III. in electionibus ecclesiasticis, in quibus sedulo, & seriatim ponderari debent merita, & virtutes candidatorum, omne genus fortitionis improbat, ne fortunae iudicio negotium ita grave committatur. Unde inferitur cum Sanchez *lib. 2. summa cap. 38.* Gibalino *d. cap. 9. art. 8.* praesentem Honorii prohibitionem non extendi ad lites ecclesiasticas circa beneficia, aliaque similes causas, quae poterunt dirimi sorte, sialia commodior ratio non appareat, quia Honorius de solis electionibus loquitur, quae non sunt quando lis de illa sorte dirimitur. Nec is, cui ille obvenit, capit beneficium vi fortis, sed prioris electionis, cuius dumtaxat impedimentum a colligante positum tollitur per fortitionem, & ejus antea dubium, & incertum firmatur ac declaratur, tum cessione adversarii, tum iudicis auctoritate. Dubitari solet, an haec prohibitio locum habeat cum duo aequalibus suffragiis ad praebendam, seu Praelaturam electi sunt, nec facile potest controversia dirimi, nisi committatur forti, praecipue cum uterque consentiat, nec periculum adfit eligendi indignum, cum uterque dignus iudicatur sit; immo non fiat fortitio ad electionem, sed ad illius dumtaxat determinationem? Et licite fieri posse censuit Glossa in *summa*, verbo *Sors* 26. q. 2. negant tamen pluribus relatis Castropalao *tract. 17. disp. 1. punct. 6. num. 6.* Sanchez *d. cap. 38. num. 74.* Gibal. *d. cap. 9. art. 8.* ea ratione moti, quia cum nondum existat electio quandiu eligentium vota aequalia sunt, si declaratio illius aequalis committatur forti, revera electio fiet per sortem; immo dici nequit, utrumque hunc candidatum fuisse iudicatum dignum a Capitulo, sed quemque a media parte Capituli, quod non censetur, nec dicitur agere, nisi major pars agat. Quare rectius eo casu poterit superior cogere Capitulum, ut intra certum tempus conveniant de aliquo eligendo: quod si non fecerint, elapso tempore eo ipse eligat, ut consuluit Glossa in *cap. ult. vers. Nec teneantur, de rescript. in 6.* licet in aliquibus Ecclesiis consuetudine introductum sit, ut hoc casu praebenda fortiat.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, & deducta ex variis sacrae paginae locis, in quibus agitur de sortibus divinis, quas etsi divinitus temperatas fuisse dubium non sit, tamen monente D. Hieronymo in *cap. 1. Iona*, temere non debent in exemplum trahi, cum privilegia singulorum non possint legem facere communem. In aliis vero juris civilis fragmentis, & Authorum testimoniis proponitur alterum sortis genus politicum, quando causa litium declinandarum, hereditates, spolia, & alia bona iis, ad quos pertinent, spontaneo consensu sortium decreto se submittentibus distribuuntur, vel cum dubia res quavis forti decidenda committitur, vel cum dignitates, officiaque saecularia fortitioni offeruntur: quod apud varias gentes receptum fuit, & hodie in variis communitatibus observatur, dum inter aequaliter dignos forti officium committitur, cum talis fors non contineat injustitiam, cum inter aequaliter dignos fiat: at vero in pra-

senti agitur de electione ad dignitates ecclesiasticas, in qua major diligentia adhiberi debet, immo, & servari forma praescripta in *cap. quia propter, de elect.* in qua nulla electionis per sortem faciendae mentio fit; & ideo in dignitatibus ecclesiasticis electio per sortes prohibita est, non autem in officiis saecularibus. Nec obstat, quod dicebamus, clericos a sorte dictos esse: quia fors illa pro hereditate Domini accipitur, ad quam peculiari-ter clerici delecti sunt, juxta eundem D. Isidorum in *dicto cap. clericos.*

Sed supra traditis aperte opponitur textus in Concilio Barcinon. *can. 3.* in illis verbis: *Hoc etiam innovandum, custodiendumve in omnibus sancta statuit Synodus, ut secundum praeceptorum canonum constituta, vel synodalia epistolae Praesulum praenotantes, nulli deinceps laicorum liceat ad ecclesiasticos ordines, praetermissis canonum praefixo tempore, aut per sacra regalia, aut per consensionem Cleri, vel plebis, vel per electionem, assensionemque Pontificum, ad summum sacerdotium aspirare, ac provehi. Sed cum per canonum conscripta tempora ecclesiasticos per ordinem speciali operi desudando, probate vitae adminiculo comitante conscenderit gradus, ad summum sacerdotium, si dignitati vita responderit, auctore Domino provehatur. Ita tamen, ut duobus aut tribus, quos ante consensus Cleri, & plebis elegerit, Metropolitanis iudicio, ejusque Coepiscopis praesentatis, quem fors praeviente Episcoporum jejuniis, Christo Domino terminante monstraverit, benedictio consecrationis adcumulet. Aliter deinceps, quod absit, praesumptum, & ordinatores, & ordinatos proprii honoris depositio subsequatur.* Ex quibus aperte deducitur, Episcopos per sortem eligi posse: nec interest, quod duo, aut tres eligi jubentur, ut deinde fortiat inter eos, quis gradu, & dignitate Episcopi fungi debeat; quia tunc adhuc revera electio sorte celebratur. Pro cuius canonis expositione dicendum est cum Sahabedra in *chronic. Gorbic. cap. 15. num. 68.* tunc temporis, videlicet anno 599. in Hispania etiam electionis formam rationi congruam, & consentaneam visam fuisse, licet nunquam legamus praxi receptam; immo contrarium observatum fuisse constat ex Concilio Tolet. 4. pauld post celebrato, & ita nunquam in Hispania electio Episcoporum per sortem recepta fuit.

Deinde adversatur textus in *cap. non exemplo, 26. quast. 2.* ubi refertur electio D. Mathiae Apostoli, quae fusiis narratur *cap. 9. Actuum Apostol.* & concluditur, sorte electum fuisse, illis verbis. *Cecidit fors super Mathiam.* Igitur si fors a Christo Domino, & Apostolis approbata fuit, non recte in praesenti Honorius improbat electionem per sortem factam ad Episcopatum. Pro cuius difficultatis solutione varia adduxerunt Interpretes. Dionysius de *Ecclesiastica Hierarchia cap. 6.* quem sequuntur Antoninus *part. 1. hist. cap. 2. tit. 6.* Turrianus in *annotationibus ad D. Clement. & in defensione lib. 8. cap. 5.* asserit, sortem illam non fuisse consuetam juxta ritum, & morem veteris legis, sed alterius ordinis, & rationis, nimirum manifestationem divinae voluntatis aliquo caelesti signo visibili, scilicet radii coruscantis, vel similis. Aliter Origenes *homil. 1. in Josue*, Hieronymus in *cap. 1. Iona*, D. Augustinus *concione 2. in psalmum 30.* exponunt locum illum: asseruerunt nimirum, hujusmodi Apostolatus electionem fuisse ex Christi reve-

Kk 4 latione

IO
Expo-
nitur
Concil.
Barci-
non.
can. 3.

II.
Expo-
nitur
cap. non
exem-
plo, 26.
q. 2.

latione commissam fortitioni consueta, & simul aliquo signo caelesti visibili probata, ut sic Christus eos certificaret, se illis in ea electione adesse: & sicut praesens Apostolos elegerat immediate, ita & absens Judae successorem eligeret. Idque videntur postulasse Apostoli cum dixerunt: *Ostende quem elegeris*; non ut caderet fors super unum e duobus, sicut in caeteris fortibus solet evenire; sed ut suam manifestaret voluntatem aliquo speciali modo, hoc est visibili caelesti signo: & ita sortem illam fuisse consultoriam docuit Theophilus tom. 15. in heterocl. spirit. part. 1. punct. 4. Tandem Vera in cap. 1. *Aethiunum*, Laurentius Lustinianus in sermone de S. Mathia, Abulensis in cap. 7. *Iosue*, q. 41. asserunt illam sortem fuisse communem, ex usu & more veteris Testamenti acceptam ab Apostolis, quia licet jam lex vetus mortua esset, non tamen erat mortifera; & ideo Apostolos licite ea sorte uti potuisse. Eos sequuntur D. Franc. Fernandez a Corduba in opusc. de vita & miraculis S. Mathiae, Pantoja in l. final. C. de aleator. num. 24. Sed omnes has sententias refellit Aravio d. disput. 3. de statu civili, 8. 5. num. 3. Tandem alii docuerunt, D. Mathiam me-

diatè electum fuisse ab Apostolis; immediate verò à Spiritu sancto, qui primum eum vocavit, & postea vocatum declaravit congregatio Apostolorum; sic enim Spiritus sanctus dixit: *Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*. Et tunc congregatio erupit: *Tu Domine ostende quem elegeris ex his duobus*; & cecidit fors super Mathiam, & adnumeratus est cum undecim; id est suffragius electus: & ita eo casu duae electiones adfuerunt, altera fortis, seu voluntatis Dei; altera suffragiorum ipsorum Apostolorum. Non tamen adhibere Apostoli suffragia, ut rectè contra alios, praecipue Ribadeneira in vita S. Mathiae, statuit, & Lessius de justit. c. 53. num. 59. Apostoli enim dederunt sortes orantes Deum, ut sortes dirigeret, & ostenderet eo signo, quem ipse praelegisset: ubi autem cecidit fors super Mathiam, ipsi quoque elegerunt, ut facile ex Graeca versione patet. Itaque Deus elegit sanctum Mathiam, & Apostoli eundem elegerunt, partim consilio, & iudicio proprio; partim sortum auxilio, ut docuerunt Cellotius de hierach. eccles. lib. 7. c. 1. Cironius in parat. ad hunc tit. Bellarm. in apolog. contra Reg. Angl. cap. 13. fol. 202.

TITULUS XXII.

De collusione detegenda.

CAPUT PRIMUM.

Gregorius *Vniuersis Episc. a Corinth.*

Desiderii nostri est ad concordiam redigere discordes, & unitos esse in gratia eos, quos diuisos ab alterutra dilectione voluntatis fecit esse diuersitas. Scripta igitur fraternitatis vestrae regentes agnovimus, quod hi, qui contra ^b Hadrianum fratrem & Coepiscopum nostrum aliqua dixerant, modò cum eodem Episcopo in amicitiam conuenissent, & magna nobis ad praesens facta est de eorum vanitate latitia. Sed quoniam ea quae dicta sunt, indiscussa remanere non patimur, Sedis nostrae Diaconum ad ea investiganda dirigimus: quia nunciati nos facinoris qualitas vehementer impellit, ut ea, quae audiuimus, dissimulare nullatenus debeamus: praesertim cum accusatores, & accusatum inter se fecisse gratiam indicastis, hoc nobis necesse est subtilius percurtari, ne fortasse eorum sit comparata concordia: quae si, quod abiit, non ex charitate, sed ex praemio facta constiterit, majori hoc emendatione plectendum est. Nam nos, qui canonicè, revelante Deo, mala, si quidem vera sunt, refecare praecedentia festinamus, commissam postmodum culpam sine vindicta nulla ratione dimittimus.

NOTÆ.

I.

^a *Corinth.*) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & post Concil. Lateran. p. 28. cap. 2. & in ipso registro epistolae. Divi Gregorii, lib. 2. indict. ii. epist. 38. ex quo literam textus transcribo. Corinthus urbs inter nobilissimas Graeciae numeratur, notissimaque est in Isthmo Peloponnesi: à Corintho Maratonis, velut Corinthis persuasum est, nomen accepit, teste Sirabone lib. 8. Ab Horatio, & Pru-

dentio Binaris appellata est, & ex eo quod ex arce, ejusque acro duo spectentur maria, Corinthus vocatur hinc Aegeum, inde Ionicum. Prius dicebatur, Ephyra. Plinius lib. 4. naturalis hist. cap. 4. Medio hoc intervallo, quod Isthmon appellavimus, applicata colli habitantur colonia Corinthus, antè Ephyra dicta. Cicero pro lege Manilia, orans, hanc urbem totius Graeciae lumen appellat: plura de Corintho notavit Aloix in notis ad vitam S. Dionysii Episcopi Corinthi, cap. 1. Eam Metropolitim ecclesiasticam fuisse constat ex subscriptionibus